*haud abs re sanctam dixerunt, & eandem ad religionem pertinere certum est, non paulo decentius professioni meae fuerit, in ejus versari laudibus, quam si aut fictum aliquod pro scholae more declamarem, aut aliquem Heroa assentandi studio celebrarem, aut eventum hesternum lucrispe defenderem, aut in hostem odii distamine intonarem. Vos, quaeso, rem benigne diligenterque audite, cujus depraedicandae gratia huc accessi. Et quoniam de lingua dicendum est mihi, votis comprecamini omnibus, ut a superis lingua detur, quae expediendis coeptis par sit. Solet vero cum primis de rerum, si quas tractandas suscipimus, inventionem quaeri, ut videlicet tanto in majore precio id sit, quod attollimus, quo plura retro secula numeret. Equidem si *vetustas* rei dignitatem adauget, *nihil dignius lingua Hebraea sit oportet*, utpote, quae neque a Mercurio, neque a Cadmo, neque a Phoenicibus, neque Palamede, neque a Simonide, neque ab Euandri matre, sed vel a Mose, quod tradit Eusebius. vel ab Abrahamo, sicuti visum est Philoni, vel (ut ad orbis initium recta regrediar) a liberis Sethi, si quid Iosepho credimus, originem ducit (ut videas fide carere, quae quidam dicunt, *Efram invenisse* Hebraeas literas) Nec ab hac sententia longe abest Plinius, literas Syris reperoribus vendicans. Quantillum vero dissonet, si quis Syriace loquatur & Iudaice, neminem puto vel semidoctorum fugit. Ferunt Enochum scriptum opus reliquisse ante cataclysmum, & ea opinio firmatur Thaddaei atque Tertulliani gravi elogio. Si scripsit igitur Enoch, his profecto literis scripsit, quas postea ab Heber filio Sem Hebraeas appellavere. Eat nunc qui volet, & Graecas literas Hebraeis antiquitatis praerogativa anteferat, ut sunt multi impii nugones, qui non verentur eas ceu barbaras*

C

irri-

irridere, idque ut ipsi sibi videntur non ineruditi, Græcitas cæco quodam amore, malentes Herodotum aut Euripidem, quam Esaiam aut Ezechielem legere. Certe Iosephus, quem haud immerito Græcum Livium appellant, negat Græcas literas ante Homeri ætatem extitisse. Quod si extiteret, vix ramen verisimile est, eas ante Lini Orphei & Musæi extitisse tempora. At quid horum ætas est, ad Serhi, Enochii & Abrahæ ætatem collata? Iam quo *antiquior est lingua Hebræa*, hoc & diviniorem & augustiorem quoque eam esse constat. Vox Dei Opt. Max. hujus linguæ adminiculo ad humanas aures pervasit, atque hoc eo etiam tempore, quando ne Graium neque Latium nomen in orbe esset. Is deus se a Mose hujus linguæ notulis, Ero qui Ero, nominari voluit. Qua nimirum origine descendit sacrosanctum illud & ter adorandum ADONAI, quod ob reverentiam *ἀδωρατον* habent. Atque adeo deus Hebræorum & dici & esse gaudet. Quanam dialecto egressæ sunt ex ore dei Hebræorum dulcissimæ promissiones, blandissima solatia, justissimæ minæ, denique potentissima quæque verba ad patres Hebræos, nisi Hebræo? Quo sermone cecinit tam suaviter David, Heman & Iedithun? Quo sermone multifariam locutus est nobis deus in prophetis sanctis? Quo sermone tradidere nobis Israëlitici historiographi tot Adonai nostri prodigia, tot virtutes, tot edicta, & ipsas adeo populi Iudaici res gestas, nisi Hebræo? Arca sacra in tanta religione apud istam gentem habita, continebat verborum decada. At cujus erat linguæ decas illa? an non Hebrææ? Iesus Dei summi unigenitus, servator mundi, non solum apud Hebræos nasci vivereque voluit, sed etiam Hebræis Hebraice loqui. Vnde quanta gloria linguæ huic nostræ accedat, quis non videt? O linguam omnium longe præcellen-

cellentissimam, o primam, onunquam pro merito neque laudatam, neque laudandam. Quis piorum non ammireretur, imo quis non supplex adoret characteres, syllabas, apices, quos sanctissimo atque divinissimo ore egregie insignivit sacrosanctosque mire reddidit cœlestis doctor? Paulus Evangelii buccina incomparabilis, non solum Hebræum se esse gloriatur, verum idem etiam differere ad populum Hebræo idiomate amavit, præbens argumentum, quantæ curæ Evangelicis hominibus illud esse debeat. Quid de uno Paulo dico? An non doctrina novi Testamenti tota ab Apostolis omnibus primum sparsa, atque hujus præsidio Ecclesia fundata est? Quorsum attinebat, ut Ioannes Evangelista toties mentionem linguæ Hebræicæ in sacro scripto faceret, nisi ad laudum ejus cumulum immensum? Ais: Christus Chaldaice, non Hebraice locutus fertur. Atqui ego utramque linguam id temporis adeo unam eandemque fuisse autumo, ut utra locutus fuerit, Hebraice tamen locutus legatur, non Chaldaice. Scio, gentem Iudaicam e Babylone paululum mutata lingua reducem Hierosolymam venisse. Scio, toto post tempore ulam Babylonicam seu Chaldaicam, cui assueverant. Neque tamen hoc exprimunt scripturæ, opinor propter summam linguarum affinitatem, aut ne gloria gentis inde minueretur. Nam cur prophanos Chaldæos titulis immeritis honestent? Cur dominum ac apostolos Syriace locutos esse affirment, ob pauculas atque leviculas finalium quarundam syllabarum discrepantias? An non Hebræa lingua, Chaldaicæ (quam & Aramicam, Syriacam, Assyriacam cognomines licet) matrix una solaque est? Vtra verustior? Num Chaldaica? Minime. Ea enim post cataclysmum primum exorta scribitur, & exorta a vicinia Hebræicæ.

Rectissime itaque legitur Hebraice locutus Dominus una cum Apostolis, non tam quod essent Hebræi ex Hebræis, quam quod conversarentur in Hebræorum terris, ut non ad dam de origine ac primaru Hebraismi. Fateor, sunt vocabulæ aliquot in Evangelio Chaldaicum spirantes, quas est effatus Dominus. At una atque altera duntaxat in causa est, cur minus hebraicissimæ sint. Igiturne propter illas variatiunculas perexiguas, suppresso Hebræo nomine, Chaldæa appellatione rem totam censebo? Nisi vererer immodicam orationis prolixitatem, exemplis collatis declararem vobis, auditores, quanta sit utriusque sermonis similitudo, unde plane intelligeretis, scripturas non abs re Hebraice, non Chaldaice, locutum dominum ac Apostolos attestari, quamvis constet, vocabula quædam Syris quam Iudæis viciniora esse. Neque tamen assevero, dominum ac Apostolos semper ea lingua locutos, quam Hebraicam vocamus. Populari sermone sæpe eos locutos etiam, nemini non verisimile est. Dicunt extare Matthæum in Hebraica literatura, & is certe dominum Chaldaizantem coram audierat: Cur igitur non Chaldæus Matthæus extare dicitur? Paulus ad Hebræos hebraice quoque scripsisse narratur, chaldaice non audiui, ut maxime illa sæcula chaldæam amurcam respuerint. Sed autoritatem atque dignitatem sanctissimæ linguæ vix disertissimus rhetor verbis assequatur. Compendio dicam, quantum vestra poscit pietas. *Hæc lingua a nullo homine reperta, nec inventa, sed a divino spiritu procedens, in homines ejus capaces demissa est.* Et ea ipsa usus est dominus omnium, quando aperiret mysteria cæli reverenda. Ea denique salutis humanæ primum instrumentum. Vos pro vestra sapientia, auditores, singula in animis vestris copiosius accuratiusque, quam a me in præsentiarum dicuntur, reputetis. Ce-

Ceterum fortasse erunt, qui ejus linguæ sanctitatem cum majestate eximia conjunctam, ut debent, revereantur, illique palmam inter reliquas attribuunt: sed abhorreant ab ea addiscenda, partim, ut quæ non ita multum utilitatis afferat, partim, quæ habeat plurimum difficultatis, nihil voluptatis aut gratiæ. Erras homo tota via, qui tale existimes. Et quid est per Deum immortalem, ut tanto nisu tantoque conamine feramur ad non inutiles modo disciplinas, verum etiam cultoribus suis sæpe perniciosas, atque hoc facimus inani decepti gloriâ, qua jam omnia metiuntur stolidi homines, de futura gloria parum solliciti? Equidem autor ego nulli fuerim, ut a disciplinis humanioribus resiliat, imo harum svasor semper ab amicis habitus. Illud modo queror, quod tam turpiter nauseent quidam ad ea studia, quæ sola divina, cœlestia, angelica, sacrosancta sunt, amplectentes interim nescio quæ seculo huic conformia, terrena, prophana, ob sordidum quæstum & popularem auram. Dicite mortales, quæ vos habet spes? Num mundum hunc cum Xenophane & Aristotele æternum somniatis? Fortasse mortales vos dici patimini, at esse non creditis? Fortasse cum Epicuro deum non curare hæc infima opinamini? Fortasse animum immortalem non sentitis, id quod sensit & M. Tullius? Aut averni pœnas pro fabula ducitis, quas tamen credidit apud Platonem Socrates, Maro, Lucianus? Aut anastasin generalem cum Sadducæis & Valentinianis, & Carpocratianis & Cerdonianis & Plinio diffitemini? Quo vos nomine appellem? Christianos? Atqui hujusmodi in Christianos haud quaquam cadunt. Dicam doctos? si si essetis, melius profecto diligentes, vilius abjiceretis omitteretisque. Dicam homines physicos? At fuere olim homines naturæ ductu viventes

longe alii, quippe qui liquido intelligebant, præstare futura præsentibus, qui excellentiora studio indefessò vestigabant, qui contemnenda atque defugienda ea docebant, quæ tu λόγον ζῶον tam enixe sectaris. Neque tamen illi nisi homines erant, humana sanaque ratione præditi. Iterum testificor, me neminem ab ulla retrahere disciplina. Hoc unum ago, ut id quod est excellentissimum, prædicem, prædicando svadeam, svadendo ad salutarem ejus rei fructum attraham, quibus libeat. Humanis divina præfero, & terrenis cœlestia. Video maximopere opus esse urgentibus atque vehementibus monitis, quibus permoveantur studiosi hujus tempestatis. Irrumpunt nunc ad eas modo artes, quas homo reperit, & quæ vel corpori, vel hæreditati conservandæ conducunt. Hic desudant, hic concitant operam, hic exercent ingenia. Omnem substantiam in has prodigunt, omnem ætatem in his conterunt, lætati spe caducorum commodorum. Theologiæ sola friget schola, vacua mœret, spreta jacet, posteaquam huc venit, ut omnes fieri Hippocrates, Iustiniani, Cicerones ambient, nemo Paulus, nemo Hieronymus. Adeoque apud quosdam prodigiose elegantes in eum contemptum abiit Theologia, ut vituperii vice, si quando stomachus illis motus est, objiciant Theologiam hujus candidatis. Alii rusticam & trivialem eam judicant, videlicet quæ cuivis aurigæ, lanio, tonsori, fossori obvia notaque sit. Sunt, quos si ad theologiam extimules, Monachis, inquit desertoribus Theologiam injungito. Cito fit theologus: unus sexternio Germanicorum scriptorum ex mimo facit theologum. Eiusmodi haurire invitis auribus cogimur. Eadem impudentia dicam an impietate repellitur linguæ sanctæ propagatio, siquidem ex eadem schola est theologia & hebraismus.

Ob-

Objiciunt, ad Iudæos spectare eam literaturam, non ad Christianos, ipsi neque Iudæi, neque Christiani, neque homines, sed grylli. Alii causantur *super vacuum* esse, ut plures *hebraicentur* quam interpretes Bibliorum. Alii ob notularum deformitatem, punctorum insolentiam, præposterum legendi morem, oris accommodatam varietatem, & nescio ob quæ alia minuta rem nobilissimam respuunt. Alii non ob aliud hebræa virant studia, nisi quia alios eadem vitare cernant, nolentes ad id applicare animum, quod in nulla esse celebritate intelligant. Isthæc scilicet gratitudo nostra erga datorem bonorum? Nihil addam amplius. Neque vero tanti mali causam invenire possim, nisi ita solere semper infimo haberi loco, quicquid a Deo est *singulare donum*. Quo minus mirandum, quod vulgus Christianorum, velut abdicato Christo servatore, ter maledictio zabulo in tenebrarum factis ex animo serviat, quandoquidem doctorum ordo ac sal vulgitam præpostere judicans divina fastidiat, & se totum terræ affiget consecretque. Sed fatis longe digressum. Querelæ nunquam gratæ sunt, ne tum quidem, cum forsân necessariæ erunt, quemadmodum verissime scripsit Livius. Non video, quid uspiam aliud agant & docti & indocti, quam *quod postea, serius licet, deplorent*. Si debetur fatis malum, age procedat, dum licet. Felicem vero qui ab hoc purum semet servavit. Vos *adolecentes hortor, ut rei magnitudine, majestate, præstantia, divinitate, utilitate atque necessitate expensa, animos vestros ad hoc studio um genus confirmetis*, ut ii, qui se dei cultores esse norunt, & ii, qui non dubitent, de factis olim reddendam rationem, non Rhadamanto, non Cadicio, sed Christo. Cogite etiam atque etiam, quanto amore id cuius pio sequendum sit, quod dei est. Quare te Theologiæ emancipa-

regi-

reginae uni atque heroinae artium quodquot sunt. Hæc tibi æternas parabit sedes, & thronum altitonantis tecum ex æquo dividet. Hæc demum philosophia est, quam diu quæsitam non invenit docta Græcia. Umbellam hujus viderunt sopheri, ipsam non viderunt. Ad hanc enisi sunt, sed vires recusarunt. At nobis, nobis, inquam, contigit huc penetrare, videre, frui. O fortunatos, si serio norimus oblatum inenarrabilem bonorum mare.

Porro in *Theologico studio non satis commode versabere citra linguæ hujus cognitionem*, quemadmodum in bello citra armorum præsidia vix salva cute diu durabit miles. *Perisvadet tibi, nihil esse utilius, nihil jucundius, nihil expetitius hujus linguæ studio.* Non libet hic oratoriis uti collationibus ad exaggerandam utilitatem Hebraismi, rem ipsam consideremus. Primum ne scientia quidem ulla est, si utilitatem tollas. *Quid enim scientia sine utilitate ac fructu?* Iam constat, eam non scientiam modo eximiam atque singularem raramque esse, *verum etiam e caelo descendisse*, id quod in superioribus pro certo affirmavimus, *Tunc loqui linguis inutile putas?* Quasi non ea ratione fuerit impressa pectoribus mortalium doctrina regni. Tolle linguarum usum, & Evangelium omne sustuleris. Mirum si quis de hoc ambigat. *Verum hoc commodi peculiariter ex lingua Hebræa capies, ut tutus obambulare per interpretationes omnium possis*, id quod alioqui nullus feceris. Quotidie exoriuntur novi scripturæ interpretes, quorum quisque pro suæ partis commodo sacras literas transfert, in quibus Instrandis nisi catus fueris, ilico in errorem præceps eas oportet. Si munitus sis hujus linguæ scientia, pergrassari vales absque ullo insidiosi serpentis periculo. *Magnum est, tibi crede, interpretem lectoris judicium metuere, &*
Verua

verua formidare doctarum manuum. Continet illum hoc in officio, facit diligentiore, facit percontatiorem, cohibet præmaturas editiones, & admonet sæpius retractandum, nonnumque in annum premendum (quemadmodum & Flaccus, & in Epistolis Plinius etiam consulunt) quod alioqui vix natum protinus publicandum existimabat scriptor interpres. Hinc suspicor fieri, quod iis qui Biblia Germanis donant, non admodum arrideat adolescentum in discendis linguis sedulitas, siquidem verentur magistros. Sed qualis fides isthæc, qualis candor, alii dixerint.

Præterea afferet hoc quoque emolumentum *lingua Hebraicæ cognitio, quod te de fidei Christianæ veritate certissimum reddit.* Exhibet enim illa tuæ religiosæ curiositati fontem ipsum & fundamentum veritatis scripturarum mysticæ um, omni excluso dubio. Nam eum qui dubitaturus erat de certitudine rerum divinarum, eo pacto fulciendum judicaverim, si illi ostendatur scaturigo scripturæ sanctissima, ut est primum a deo per servos suos prophetas disposita. Qualecunque hoc aliis, mihi certe maximum videtur, & eo propemodum ceu miraculo dei singulari, si quid diffiderem, ad Christianismi fidem allicerer. Dubitare poteram de sacris literis, deque harum autoritate, nisi me certum & securum esse juberet fons ille limpidissimus a tot seculis scatens.

Afferet lingua hæc *concioni* quoque fulcra ac bases robustissimas, *addit concionatori vehementiam constantiamque.* Nam *quo est de scripturarum veritate certior, hoc solidius, viriltus atque potentius docet & surget.* Eidem subministrat materiam, de themate copiosius differendi, dum aperit vim contextus ipsissimam.

Transseo quantum *conducat ad literariam pugnam, maxime ubi de religione & hujus articulis disputatio incidit.*

D

Non

Non unquam vidisti Hebræum ænei muri instar invictum stare in conflictu, quoties ad hujus linguæ præsidium currerit? Qui posset homo Christianus de Iudæo victoriam reportare, nisi præidiis sanctæ linguæ?

Transeo, quam valde conferat linguæ Hebrææ scientia *ad legitime intelligendum enarrandumque libros veteris instrumenti*. Nodosa loca explicat, obscura elucidat, intricata extricat, dubia certificat: Breviter, est magistra exponendæ scripturæ certissima. Transeo quantum fecunditatis afferant doctis Theologis fonticuli isti priorum nominum Hebræorum. Innumeras profecto allegorias, pulcherrimos lusus, & severiores etiam doctrinas plurimas peperit priorum etymologica interpretatio, quam orbi donavit post Philonem Hieronymus: Sed ita, ut aliquid tibi quoque agendum reliquerit. Transeo cætera commoda, quæ confertim sui studiosis ceu amplissima præmia largietur.

Nonne vides contra, *quanta sit miseria istorum, qui linguas nesciunt? Pendere illi de interpretum nutu coguntur, quibuscum aut bene sentiunt, aut male. Credere coguntur, quæcunque obtruduntur illorum manibus*. In concionibus frigent, in disputatione languent, in enarrandis locis ancipites hoc atque illuc feruntur, & ut quidam verissime inquit, *alienis ingrediuntur pedibus, alienis cernunt oculis*. Sed nolim infelicitatem istorum traducere, quorum quidam partim ætatis vitio, partim præceptorum penuria, partim laboris sustinendi diffidentia a schola Hebræorum abacti esse videntur. Colligere hinc quivis poterit linguæ hujus necessitatem, nedum utilitatem, salubritatem, precium. Verum de ea disserere festinanti longius æquo fuerit.

Videamus nunc, *an aliquid ea lingua jucundius sit*. Qui voluptatem quærunt in momentaneis illis, quæ hoc seculum

lum admiratur atque concupiscit, nã illi vel philosophorum gentilium iudicio fatui sunt. Qui delectantur in ingenuis artibus, eis id solatii concedo. Nulla tamen est solida ac vera voluptas piis animis, nisi in re pietatis. Iam vero nihil magis spectat ad pietatem, quam piæ literæ. Qua igitur in re sese oblectet dei cultor, nisi in tam augustis, tam antiquis, tam sacratis, tam divinis denique literis? Amœnissimum, sic me Christus bene amet, & perpetuo vernantissimum pratum est scriptura in suo idiomate, & tot habet flores, quot voces, unde decerpere cuique liceat, quod sibi usui esse putet ad justitiæ culturam. Est hortus delictiosus, Balsami dives, & omnis pomorum generis, semper suave olens, semper ridens, semper formosus. Deest nobis sermo in delectamento Hebraici studii atrollendo. An non volupe est pietati hominis, eas videre literas, quas ipsa Majestas summa invenit? Quid putas deesse dulcedinis illi, cui eo loqui ore obigit, quo locutus est Christus, prophetæ & Apostoli? Quid mellitius, quid gratius, quid desideratius, quam nosse etiam, quibus verbis orbi secreta sua retexerit Dominus, quandoquidem præsentem audire non contigit? O immensum quiddam, nempe hominum mortalem callere linguam Dei. Non hic commemorabo, quantum adficiat legentis animum intellecta lingua. Vnicum dei nomen in suo isto originali fortius figit sedem in credentis pectore. Mirum dictu est, quanto vehementius se soletur atque ferenetur precans hebraice, quam si quis græce aut latine precetur. Vim vividam addunt tibi voces sacratissimæ, adeoque sonus ille. Rapiunt te alio, & res pergunt occultis quibusdam gaudiis, ut alacrior a psalmodia discedas, & promptior redeas. Summatim, animus in nulla lingua tam conquiescit & pacificatur, ut in Hebræa. Ut taceam, per se delectare quamlibet scientiam, hanc vero eo

magis delectare, quo est divinius. Etenim non vulgare gaudium est, linguas alias juxta hanc nostram conferre, & ad hanc ceu Lydiam regulam omnia exigere, omnia diducare trutinareve. Ipse Hieronymus sæpe miratur ejus linguæ dulcedinem, non dubium, quin eam iterum atque iterum expertus. Hæc atque hujusmodi vos quoque experiundo potius discite, viri Christiani, si mihi minus fidei datis.

Porro qui causantur difficultatem linguæ hujus immodicam, vehementer errant. Fortasse reris, te eam una diecula, & citra laboris molestiam consecuturum. An est sine labore virtus? Adeoque quid sine labore dulce aut honestum? Dic mihi, quot annos Romanæ linguæ addiscendæ dedisti? Horum dimidium imperti Hebrææ. Nec refert, si non conscendas ad summum. Satis esto, si in medio consistas. Est aliquid, pauca posse intelligere. Non exigo a te epistolas hebraicas, marte tuo scriptas, non colloquia hebraica, nec aliorum omnium scriptorum dictorumve intelligentiam, sed illud volo, *ut Bibliis advescas Hebraicis*, ut phrasin & idiomata imbibas, ut vocabulorum rationes rimeris, *ut ex his translationes judices*. Breviter, ut animum tuum his literis obfirmes, ceu vere hieroglyphicis, vere Sibyllinis, vere Delphicis.

Illud forsitan quosdam remoretur, quo minus animos ad sancta ista studia adjungant, nimirum quod audiunt, *vix paucissimos scriptorum Ecclesiasticorum Hebraice doctos fuisse*, unde consequi, non adeo fructuosam, nec tam ad res rheologicas necessariam esse linguam istam. Hic si patienter me audire dignabimini, expediam vobis isthuc objectum quam potero brevissime. Ab Apostolorum & aliorum ex circumcissione obitu, nacta est Ecclesia viros antesignanos ex gentilitate, idque tam in oriente, quam occiden-

cidente, quorum alii Græci nati erant, alii Latini. Quos autem tum ex Iudæis acceperit, obscuro nobis sunt & incelebres. Nolo enim hic comminisci eos, qui ex iis accepti in Ecclesiam, postea judaizantes, hæreses invexerunt. Quoniam igitur Christianismus ad Græcas & Latinas gentes reciderat, & sacræ scripturæ Biblia jam Græca Latinave habebantur, factum est, ut progressu temporis inter plebrosque obsoleverit Hebrææ linguæ existimatio. Enimvero notum est ex Irenæo, & Augustino, quo desiderio Ptolomæus rex Lagi filius apud Alexandriam Eleazari pontificis Hierosolymitani opera Hebræos arcanarum literarum codices per septuaginta seniores in Græcicum sermonem vertendos curaverit, ut tantus thesaurus, ad quem solis Iudæis aditus patebat, allophyllis etiam evulgaretur, nec hoc sine Dei consilio ac providentia. Præterea nemo nescit, alios postea senioribus hisce successisse interpretes Græcos, videlicet Symmachum, Aquilam Pontium, & Theodotionem Ephesium, Iudæos profelytos. Istorum igitur laboribus contenti scriptores Ecclesiæ veteres, Hebræorum fontes neglexerunt, non contempserunt, atque hoc præceptorum magis, sicut ego quidem opinor, inopia, quam rei ipsius fastidio.

Sed heus, igitur non vis e fonte dulcissimo bibere, posteaquam ingustum dati tibi sunt Græci rivuli? Eligesne amens pro prototypo deuterotypon, aut etiam tritotypon? Non obluctor, quo minus deames ac usurpes septuaginta interpretes una cum successoribus, sed ea lege, ut primas Mosis ac Prophetarum primario stylo tribuas. Scio, amice, scio, quantum autoritatis isti viri apud vetustissimos quosque obrineant, præsertim apud Irenæum, Hilarium, Ambrosium & Augustinum, qui acriter dimicant pro illorum majestate minime omnium violanda. Atqui non deserenda

propterea Hebræorum autoritas , quæ tanto major est , quanto antiquior , & hoc eminentior , quo divinior. Condonandum aliquid Aurelio arbitror , qui mordere non dubitavit Hieronymianas ad Hebræum versiones , præ immodica quippe septuaginta admiratione. Satis uli eum sunt errores quidam ex Hebrææ linguæ ignorantia ab ipso exorti. Equidem non valde non placere mihi possunt Latini scriptores , qui quum hebraicari non liceret , saltem ad Græca se tanto contulerunt studio. Nam da mihi unum ex vetustissimis Latinis Theologum , qui Græce nescierit , & qui non proprias ferme versiones ex Græco in suis scriptis usurparit. Quo magis excusandi nobis sunt de hebraismi imperitia , & hoc magis tu incusandus videre , qui Latinus duntaxat theologus esse vis , originales & genuinas literas non ita magni pendens , quæ nisi existerent , ne Latina quidem haberes.

Divus *Hieronymus* esto exemplar colendi id genus studii. Hunc ob oculos pone , hunc imitare. Is patefecit viam ad Hebræorum adyta , dignus profecto , non dico , qui in Olympia aureus stet , & Argivum gestet clypeum , sed quem cunctæ scholæ ceu patrem suum terant. Aquila is in nubibus est , & talis , ut plures habeat qui invideant , quam qui ipsum exæquent. Is e matre lingua quæsiivit veritatem contextus , dives in rerum scientia , aliis interim mendicantibus. Quin tu itaque ipse potius tibi para facultatem , dum licet , ne , quando opus est , cogaris vel ad ludæorum perfidiam confugere , vel incerta aliorum consulere interpretamenta. Vir ille in *Paulæ* Epitaphio cum vellet sanctæ huic linguæ tribuere laudem maximam , sic inquit : *Hebræam linguam non desero , ne ipse ab ea deserar.* Testatur ibidem , Paulam hanc consequutam esse eam linguam , ita ut Psalms Hebraice caneret , &c. Exemplar item esto *Ori-genes,*

genes, qui, Eusebio teste, addidit Hebrææ linguæ virtutem, ut vel agnosceret qualia essent, quæ a Iudæis hebraicis literis leguntur, vel quæ esset Græcorum interpretum diversitas, cerneret. Nam exapla columnatim composuerat non minus scilicet quam mirabiliter. Propone tibi *Nicolaum Lyranum* in iis literis exercitatum, adeo, ut Iudæorum proles esse credatur. Propone tibi *Paulum Episcopum Burgensem, & Galatinum*. De *Capnione* quid attinet referre, quem totus orbis, ut linguæ hujus oppressæ vindicem fortissimum juxta ac peritissimum suspicit, colit, amat.

Adeoque si nulla esset causa, cur hebraicari in animum induceres, sat, puto, causæ foret, quod tot modis pugnant inter sese Græci interpretes septuaginta & posteriores illi tres. Quid igitur consultius, quam ad certam illam atque nativam scripturam se applicare, quæ sola sibi constat, sola non errat, sola rata, firma, probaque est, citra quam in ambiguo relinquere, miser & miserandus? Non detraho interpretibus, sed hoc quod interpretati sunt, undeque nomen interpretum fortiti sunt, prædico. Eos propemodum invidiosos fecerat Hieronymo Augustinus sua ista improba laudatione, quæ cum injuria sanctæ linguæ conjuncta erat.

Habes hac tempestate in vivis viros egregios atque summos, quibus uti magistris ejus linguæ queas: quorum si unum atque alterum habuissent Græci Latini que veteres, mirum ni omnem navassent operam in addiscendis Hebraicis. Quin & librorum Hebraicorum copia caruerunt, nondum videlicet reperta Chalcographica arte, qua levi negotio plurimi libri circumquaque diffunduntur. *Cunradus Pellicanus* emeruit doctorum candida suffragia. Hujus discipulus *S. bastianus Munsterus*, bone Deus, qualis ac quantus vir? Quid ille rerum Hebraicarum non exquisivit excussitque? An virtutum speras, qui melius de Hebræorum studiis mereri que-


queat? Sacrarium quoddam ejus linguæ is mihi esse videtur,
 & scientiæ exoticæ pelagus. Hunc rogo vos amore singulari
 complectamini, hunc admiremini, huic linguæ animisque
 faeatis, ceu uni, qui in humeros suos totum sanctissimæ lite-
 raturæ negotium susceperit. *Wolfgangus Capito* æterna quo-
 que memoria dignissimus judicatur, ob labores maximos,
 quibus id studii complusculis jam annis fideliter adjutat. Ho-
 rum illustriū catalogo quid vetat atterere Matthæum Auro-
 gallum, Antonium Margaritam, Ioannem Buchsensteinum,
 & eos, qui nobis Biblia, & nuper Prophetas in superiore
 Germania germanice reddiderunt, licet notæ illis infames
 inurantur? Maxime celebrandos existimo, quamvis mihi
 ignotos, quos Munsterus in prefatione triplicis Lexici com-
 memorat. Tales viros nobis offert Germania nostra, o ado-
 lescentes. Nec putandum est, Galliæ ac Italiæ deesse similes.
 Inter quos sine controversia *Santes Pagninus* arcem summæ
 laudis jure obtinet. Hos itaque quotquot passim vivunt, vo-
 bis ceu stimulos quosdam cœlitus esse datos existimate, quo-
 rum recordatione fiat, ut evigiletis ad tam divinas, necessa-
 rias, salubres literas. Auditis magistrorum esse copiam, viden-
 tis codicum optimorum referta omnia, cognostis rei com-
 moda multiplicia. Quare huc animos convertite. Absit pu-
 dor, inscitæ alendæ autor. Procul exigite diffidentiam, &
 difficultatis opinionem. Is cujus est peculiare munus lingua
 isthæc, audenti aderit. Persuasum habete vobis, præclarissi-
 mum esse, dici Hebræum. Quid enim est Hebræus, nisi
περιώτης, hoc est, transitor? Quicumque ita ad futuram vitam
 transire festinant, merito Hebræos vocari conveniet. In ea-
 dem schola, cui te addices, sedent prophetæ, & cæteri Bibli-
 ographi, socii tui laboris & exercitatores. Hos Rabbinos ho-
 degosque amplectere, nec, si obtemperes, dubito,
 quin ad bonam frugem brevi evadas.


Fd 1275

X 2366362

WMA

ME





HERMANNI von der Gardt/ P. P.
PROGRAMMA,

Quo
ad

Philologicam Hofeæ

&

Commentatorum Rabbinico-
rum publicam enarrationem, à Vice-Rectoratu
& ex publico luctu ægritudine
continuandam,

Philologiæ Cultores invitati,

Georgii Vicelii

Duobus præclaris Opusculis,

De

Fontium Hebraicorum Studio,
suppeditatis.

A. M DCC IV. mense Februario
in Academia Julia P. P.

HELMSTADII,

Typis GEORG-WOLFGANGI HAMMII,
ACAD. TYPOGR.